

**Dissertatio medica inauguralis, de febre vulgo dicta biliosa remittente /  
[James Harvey].**

**Contributors**

Harvey, James (James F.)

**Publication/Creation**

Edinburgh : Neill, 1816.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/zk7gsknt>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE

VULGO DICTA

BILIOSA REMITTENTE.

MED. CHIR. SOC.  
ABERDEEN.

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
PER  
ERRE  
AD GEO. BIRCH  
BILIOSA REMITTENTE  
D. GEORGI BIRCH SS. T.P.  
ACADEMIAE BRITANNICAE PRÆFECTI  
AMERICANUS STUDIORUM ACADEMICORUM CONSILIARIS  
NATURALIS ET ACQUILATIS MEDICE DECRESIO  
IBIZO, FLAVIN DOCTOIRE  
SUMMATION IN MEDICINA HISTORIAS AC DISSERTATIONES  
HABET IN LIBRARIIS CONVENTUARIA  
EXAMINUM EXAMINI SUBIECIT  
JACOBUS HARVEY  
SCOTIUS  
IN CLEVERE HESIA CHINNOVENS  
In omni reperit operis dignitate et desiderio nonnulli probosis  
litteris sicimiles

Ad Cyprius Augsburgi posty jocundas solitis

EDINBURGH:  
EXCEPTEANT RITUS ET SOCI  
MDCCXCVI

6

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**F E B R E**  
VULGO DICTA  
BILIOSA REMITTENTE;  
QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,  
**D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.**  
*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*  
NECNON  
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET  
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;  
**Pro Gradu Doctoris,**  
*SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;*  
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT  
**JACOBUS HARVEY,**  
*SCOTUS,*  
*IN CLASSE REGIA CHIRURGUS.*

---

In omni febre oportet vigilare, et quidquid male oriatur, idoneis  
remediis succurrere.  
HEBERDEN.

---

Ad Calendas Augustas, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:  
EXCDEBANT NEILL ET SOCI.

---

MDCCCXVI.

DISSERTATIO MEDICO  
INVENIRE

PER

LEO DICETA

ERITIUS A REMITTENTIA  
CUM TITLO CAVIO MAGDONALD  
CAPIT.

ANNO MDCCLXVII

EX LIBRIS

EX LIBRIS UNIVERSITATIS BRITANNICAE

D. GEORGI BAIRD, M.D.

EX LIBRIS UNIVERSITATIS BRITANNICAE

EX LIBRIS

EX LIBRIS UNIVERSITATIS BRITANNICAE

EX LIBRIS UNIVERSITATIS BRITANNICAE



TECHNIQUE MEDICALE

BOOKS

IN CLARE HALL UNIVERSITY

IN SORRY STATE OF PRESERVATION. IT IS BEING SOLD AS IS, WHEREVER  
IT CAN BE SOLD.

BY COUNCIL OF THE UNIVERSITY, FOR THE USE OF THE LIBRARY.

EDINBURGH:

PRINTED FOR THE COUNCIL BY W. AND J. BROWN,

MDCCLXVII.

PATER SOO BENIGNUS,

GULIELMO CAROLO MACDONALD,

ARMIGERO,

HOCCE OPUSCULUM,

AMICITIÆ ET OBSERVANTIÆ

PIGNUS,

SACRUM VULT

AUCTOR.

MEMORIAL

AT THE SIGHT OF THE MOST EXCELLENT

JOANNI HARVEY  
CULIEUM CINQDO MECBONALD

IN EXERCITA CHIRURGICO  
LAMMODO

HOCCE OBSCUTUM

HOCCE OPUSCULUM

SERATUM A TADE AMORIS

AMICITIA TE OBSERVANDA  
PICHUS

CARTAMENTO OMNI

1666. 1667.

1668.

NECNON,

PATRI SUO BENIGNISSIMO,

**JOANNI HARVEY,**

IN EXERCITU CHIRURGO,

HOCCE OPUSCULUM,

PIETATIS ATQUE AMORIS

PIGNUS,

GRATISSIMO ANIMO,

D. D. Dequa

FILIUS.

Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b31951685>

## DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

F E B R E,

VULGO DICTA

BILIOSA REMITTENTE.

---

JACOBO HARVEY, Auctore.

---

## PRÆFATIO.

Quò legibus Almæ hujus Academiæ obtemporem, in animo est, eâ, quâ decet, observantiâ, quædam dicere de Febre vulgò dicta *Remittente Biliosa*. Hoc argumentum selegi, quia erat mihi occasio hanc febrem videndi, epidemicè

A

grassatam

grassatam inter nautas Classis Mediterraneæ, potius quam spe aliquid novi proferendi. Hic morbus attentionem medicorum summam vindicat, quippe non solùm frequentissimus, sed etiam magnum exitium copiis maritimis terrestribusque nostris, in illa regione orbis terrarum, attulit.

## FEBRE

## HISTORIA MORBI.

HÆC febris in regionibus diversis et tempes-tatibus, sed præcipuè in regionibus calidis, per æstatem et autumnum epidemicè sævit, et quam-vis rarissimè secùs accipitur, tamen signa ejus, peculiaritate habitûs, modis vitæ, tempestatibus diversis anni, et positione locali, adeò variantur, ut eam delineare difficillimum sit, sine res inter se manifestè repugnantes inducendo. Sed plerumque quædam symptomata adsunt, quæ eam satis dignosci efficiunt ; et quum descriptionem sequentem præcipuè continere proponitur, ad species quas inter ordinem hominum, quem suprà memoravi,

memoravi, assumit, sequitur ut eæ constantiores futuræ sint.

Imprimis, observatur, eam magna ex parte, in illis apparere, sicut morbum de valdè inflammatorio genere, citò cursum perficientem, ut affectiones febries in regionibus calidis solent; et secundò, præcipuè juvenes et plethoricos afficeret; et interdum modum impetus suscipere, qui de ejus natura vera nos decipere potest. Plerumque autem, modis diversis infrà descriptis, incipit.

Æger primùm anxietate, lassitudine, et prostratione virium, afficitur; quas mox excipiunt sensus frigoris vel horroris, et citò calor intensus, et capitis dolor vehemens, præcipuè circa frontem et tempora, cum pulsatione arteriarum temporum, et etiam dolore circa fundum orbitalium, vel sensu rigoris aut molestiæ in oculis volvendis, qui frequentissimè inflammantur, cum vultu erubescente. Ille quoque magnâ oppressione in præcordiis, sæpè cum nausea vel vomitu materiae biliosæ, itidemque magno dolore dorsi, et extremitatum, cum perturbatione et inquietudine universa, vexatur: pulsus plerumque plenus,

durus

durus et frequens est, emicans ab centum viginti ad centum et triginta, sed nonnunquam oppressus, sub scalpello oriens, aut fortassè parùm ab statu naturali varians, sed multùm differens prout cerebrum aut ventriculus sit viscus præcipue affectum ; calor necnon in hac febre multùm differt ; nonnullis plurimùm auctus, aliis parùm mutatus, sed plerumque cute sensum ingratum et aridum tenente ; relaxatione universâ rarissimè occurrente per totum cursum morbi, et, quum circa principium accidat, nullam diminutionem symptomatum afferente : lingua alba vel subflava est, cum oris sapore ingrato ; et quando exeritur, sæpè tremulo motu afficitur, et amplificata appareat : siq[ue]s admodum urget : urina plerumque rubra ; autem posteà colorem biliosum assumit : dejectiones fuscæ et sæpe colore, et stabilitate, similes unguento hydrargyri. Sed interdum hæc febris celerior est in impetu, ægroto repente vertigine correpto, et in statu insensibili procumbente ; quem statum, tamen brevi tempore reactio, nonnullaque signorum supra enumerata, sequuntur ; vel forsitan delirium symptoma primum est. At interdum incipit, non absimilis typho ratione symptomatum

symptomatum ægro ex languore, lassitudine, et prostratione virium querente, comitante vertigine, dolore capitis, universaque inquietudine, cum pulsu celeri, debili et aliquando intermittente; vultu pallido, atque suffusione oculorum, et majore vel minore perturbatione mentis. Aspectus autem, febre penitus formata, mutantur, induentes magis speciem inflammatoriam. Hi modi diversi sunt, quibus hic morbus impetum facit. Sin æger non ante diem secundum vel tertium morbi questus fuerit; magna ex parte, illi aspectus diversus erit. Dolor capitis adhuc magnus manet, cum stupore et aversatione responsorum reddendi, negligentiaque rerum circumstantium; nunc oculi obscuriores solito videbuntur, et frequentissimè inflammatio antecedens, aliqua ex parte, subflavo colori tunicæ conjunctivæ cesserit, qui citò ad faciem et collum, posteàque per corpus totum extenditur. Lingua nunc crustâ flavâ obducta, vel fusca et arida est; prostratio virium, dolores extremitatum, et quoque anxietas, oppressioque circa præcordia, nunc maximè urgent, una cum vomitu frequente materiæ biliosæ, et singultu per molesto.

molesto. Pulsus nunc plerumque minor est, varians de centum ad centum et triginta : augmentatio temperaturæ, hoc tempore, non magna est, vultu potius aspectum depresso et anxium ostendente, et subinde erubescente. Die tertio in temptationibus violentis, sæpe speciem remissionis completæ habemus ; sub vesperem exacerbatio est, et omnia signa ingravescunt. Progradientे morbo, dolor et molestia circa præcordia in ingravescendo permanent, atque nunc ferè constans fit vomitus, cum dolore abdominis dejectionibusque frequentibus materiei nigræ fœtidæque. Suffusio flava nunc colorem obscuriorum assumit, et cutis interdum humida fit, vel sudores parci se ostendunt, et sæpe fœtor injundus a corpore aut linteo ægri, exhalatur. Si cerebrum multùm affectum fuerit, delirium jam erit urgens, quod sæpe in comate terminatur. Si signa ingravescere continuent, pulsus fit irregularis, interdum plenus, aliàs celer et parvus, sæpe intermittens ; molestia circa regionem epigastrii nunc intolerabilis evadit, et vomitus incessans sæpe sanguinis, et, in exemplis nonnullis, materiæ similis sedimento coffææ adustæ. Sanguis

guis gingivis et faucibus exudat, cum hæmorrhagiis e naribus, et frequenter ex ano. Hoc tempore, subsultus tendinum, jactatio perpetua in lecto, suppressioque urinæ, cum dolore molesto in regione vesicæ, superveniunt. In casibus nonnullis ischuria renalis occurrit, et in paucis magna distentio vesicæ, ita ut ad educendam urinam fistulam in vesicam immittere necesse esset. Fæces in multis nunc invitè redduntur. Tumefactio et suppuratio glandularum parotidarum, petechiæ et vibices, quamvis non indica generalia, interdum se ostendunt, lingua crustâ nigrâ obducta; dentibusque sorde circumdatis; respiratione difficiliore evadente, anxietateque extremâ; pulsus ita ut vix percepi possit, subsidit et intermittit; frigidæ extremitates, et sudores glutinosi, miserias ægri terminant, die tertio vel quarto, sed plerumque a die quarto ad octavum.

Symptomata quæ suprà enumeravi progressum febris in forma severissima designant. In plerisque exemplis, frequentissimè sub forma continua cursum currit, et in aliis, remissiones interdum notantur. Signa quæ suprà enumerata

enumerata fuerunt, non omnia in eodem homine apparent: nec semper morti symptomata præcedunt, quæ modò descripta fuerunt; præsertim quum ante diem tertium, morbus in morte terminatur. In talibus casibus, cerebrum pars præcipuè affecta est, et mors interdum repente invadit, pulsu manente pleno, molli, et etiam quodammodo forti, ferè ad momenta ultima; convulsionibus violentis mortem ægro afferentibus. Primâ æstate, cerebrum organum præcipuè affectum esse, observatur; calore crescente, et imbribus periodicis cadentibus, symptomata gastrica gravia fiunt, sed sine ulla diminutione affectionis cerebri. Autumno progrediente, affectio inflammatoria intestinorum, desinens in dysenteria, sæpe occurrit. Per hiemem frequenter peripneumonia comitatur, et in æstate et autumno, affectiones pulmonicæ leniores interdum videntur. Impetum hujus febris sæpe constipatio, diarrhœa, vel dysenteria antecedunt, et frequenter cynanche tonsillaris.

**CAUSÆ.**

## CAUSÆ.

NUNC ferè inter omnes convenit, causam remotam febrium remittentium et intermittentium, ex effluviis exhalatis a paludibus vel agris humidis originem trahere, sed natura hujus actoris potentis, ac invisibilis, ferè latet; et sicut materia contagionis, oculos investigationis fellit. Miasmata superficie terræ exoriuntur, ubique materiæ animales et vegetabiles in statu decompositionis sunt; et in regionibus calidis, ubi calor humiditasque non solùm dant maximam vim actori, sed propensionem eis expositis, ad ea recipienda, eorum effecta conjuncta magna sunt.

De eorum effectibus, effluvia et paludosa et humana, sedante in corpus animale vi pollere inter omnes constat. At in quo modo, ad sensorium portentur, ita, ut affectus in constitutionem provehantur, adhuc ambigitur. Sed an pulmones effluvia absorbeant aut in ventricu-

lum suscipiantur cum saliva alimentoque, et ita suos effectus in nervos ventriculi edant, dictu difficile est. Tempus quod intervenit, inter applicationem hujus veneni ad corpus et ejus operationem visibilem in forma febris, ex gradu concentrationis, et prædispositione ægri, pendet. Exempli gratiâ, in locis quibusdam, adeò potens invenitur, ut homo in valetudine perfecta, noctem in locis paludosis et humidis aut tempestatibus autumnalibus degens, die sequente e febre laboret. Dum e contrario, in conditione ita diluta applicari potest, ut dies octodecimus, vigesimus, vel etiam trigesimus accedat, antequam in forma febris se ostendit ; et secundum Doctorem JACKSON, interdum duo menses, secundum Doctorem BANCROFT, novem aut decem. Fortassè in hoc modo, exortus hujus febris in navibus quibusdam in mari per aliquod tempus retentis, et omnino remotis ab expositione omni directa, ad causam remotam, explicari potest ; quæ jamjam in constitutione latens, in actionem ab aliquibus causarum excitantium multarum, excitari potest. Potentissimæ earum existimantur esse hæc : intemperantia in usu liquorum spirituosorum.

spirituosorum aut vini ; expositio ad radios solis vel ad rores, post diem magnis laboribus consumptum ; timor et alii affectus deprimentes animi. Illæ quæ ex intemperantia superveniunt plerumque pertinacissimæ inventæ fuerunt.

Quo ad naturam contagiosam aut non-contagiosam hujus febris, adhuc dubitatio magna est ; sed dubitari non potest, quin contagiosa evadat, ubi munditiei et ventilationi non strictè cura adhibetur, aut ubi ægri necessariò coarctentur, et sani vix ab affectis separari possint.

### DIAGNOSIS.

His rebus dictis de phænominis morbi, non necesse est dicere multa de indiciis diagnosticis. Scientia febris ab expositione ad effluvia paludum ortæ, naturæque epidemicæ pro tempore prævalentis, cum quibusdam signorum insignium ; qualia, magnus dolor capitis, qui ferè semper ad frontem et tempora figitur, oppressio magna in præcordiis, vomitus biliosus, atque bilis

bilis apparens inusitatâ quantitate per cursum morbi tingens cutem, excretionesque diversas, ut hæc febris satis dignoscatur, efficient.

### PROGNOSIS.

DOLOR capitis minùs urgens in primo gradu; prostratio virium minùs notabilis; affectio levis ventriculi; pulsus non frequentissimus; dia-phoresis lenis corpus totum tegens, sitisque parva, sunt signa quæ nos inducunt ad formandum prognosin faustam. Sed e contrario, dolor capitis violens, delirium citò comparens et perdurans; magna irritabilitas stomachi; sitis et calor magnus; suffusio flava citò apparens; ischuria; dyspnœa; coma; subsultus tendinum; singultus; petechiæ, et vomitus materiæ similis sedimento coffææ adustæ, sunt omnia symptomata quæ terminationem infaustam portendunt.

### SECTIO

**SECTIO CADAVERUM.**

CADAVERIS inspectio causas morborum evidentes nobis interdum ostendit, et effectus eorum in corpore humano. Res saepe apparent quae remediis potentissimis resistiterunt, et arte humanâ nequaquam removeri potuerunt; cadavera eorum, qui hac febre mortui essent, inspicio, sequentia inventa fuerunt. Vasa cerebri plerumque distenta, et in exemplis pluribus, ex saturata sanguine. Membranæ magnoperè inflamatæ, cum aspectu cruentato et interdum flavo. Depositiones lymphæ coagulabilis in partibus diversis, præcipue inter circumvolutions cerebri; et ventriculi, saepe fluido interdum limpido alias flavo, distenduntur. Substantia cerebri texturæ firmæ; et pulmones saepe plurimum inflammati inveniuntur, et pleuræ costali interdum adhærent; et frequenter cum effusionibus aquosis in pericardium vel saccos pleuræ, depositionibusque in variis partibus.

bus lymphæ coagulabilis. Diaphragma sæpe multùm inflammatur, interdum adhærens hepati quod plerumque amplificatum reperitur; sed non ferè signa externa inflammationis exhibet, et frequenter lividum est marginem versus inferiorem lateris concavi. Vesicula fellis impleta bili conspissata reperta est. Indicia inflammationis in aspectu externo ventriculi et intestinalorum apparent, et si patefacta sint, materia nigra tunicæ villosæ adhærens, atque intestina distenta aëre, inveniuntur. Intussusceptio frequens est. Vesica urinaria interdum indicia lenia inflammationis ostendit.

### CURATIO.

RATIONES hanc febrem tractandi diversissimæ fuerunt, nonnullis morbum existimantibus esse naturæ typhoidis ab initio, et igitur remedia propria huic conditioni administrantibus. Dum e contrario, generis esse inflammatorii ab aliis existimata fuit, et ritè tractata. Quantum est

est mihi opportunitates judicandi, opinioni posteriori acquiesco. Sed exempla in cursu epidemici curationem medium aut contrariam postulantia, aut propter ætatem vel peculiaritatem statûs occurrere posse, necessarium est confiteri. Mihi videtur separationem ægrorum a sanis in locum ubi mundities et ventilatio adhiberi possint, quantum res sinent, nostram primam curam esse debere in omni febre, etiamsi haud contagiosa existimetur. Nam negligentia harum, morbus qui naturâ innocuus fuit ad postremum contagiosus fieri potest. Affectio topicâ cerebri plerumque signum primum est, quod attentionem poscit; et quum febris eo ferè tempore, integrè naturæ inflammatoriæ reperta est, cum proclivitate citò in statum disorganizationis progrediendi, quando vires medicinæ sæpe frustrâ tentabuntur; manifesta prostratio virium, pulsus oppressus, aspectus anxius ægri, cum inclinatione ad syncopen paucis unciis sanguinis detractis, ut interdum accidit, nos a repetitione deterere non debent; affectione enim topicâ capitis remotâ, symptomata periculosa graduum posteriorem avertuntur. Sanguis e brachio, vel arteria

arteria temporali ad uncias viginti aut triginta vel plus nisi priùs, symptomata multùm remissa fuerint, detrahi debet, et æger in positione recumbente inter missionem sanguinis collocari. Quamvis in casibus quibusdam, signa non multùm lævantur hac quantitate, tamen in aliis eam ferè dolorem capitis et stuporem, removere vidi, atque sequi relaxationem universam superficie, detractionemque febris, quæ posteà nihil amplius quam catharticum aut diaphoreticum ut amoveretur, postulavit. Terminatio tam fausta, non nisi in exemplis paucis, expectari potest. Sanguine emisso, catharticum submuriatis hydrargyri et jalapii exhiberi, et repeti debet donec alvus plenè responderit, ejusque operatio ab ematibus emollientibus adjuvari; atque ægro ad libitum ullum potum diluentem bibere permitti potest. Si ante missionem sanguinis pulsus oppressus fuisset, nunc augebitur, ægerque sæpe se fortiorum sentit quam anteà. Sanguis plerumque firmus est, et interdum crustam inflammatoriam exhibit. Paucis horis, aut per diem, si dolor capitis, comitante vultu suffuso rubore, pulsuque pleno et frequente, remanet, vel rever-

sus

sus fuerit; venæsectio aut arteriotomia, iterum repetatur, necesse est, ut manè præscripta, nisi priùs symptomata imminuta fuerunt. Sed quo ad quantitatem detrahendam, nobis secundum juventutem, statum plethoricum ægri, et effectus statim productos, regendum est. Huic curationi affusio frigida, si calor et pulsus firmè supra mensuram naturalem permaneant, conjungi potest; sæpè optimo cum fructu in sublevando omnia symptomata, calorem præsertim et sitim, et cùm primùm quotiesque calor et pulsus creverit, iterum repeti oportet; reverà ab ægro ipso repetitio sæpe petitur. Si die sequente, dolor capitatis, oppressio apud præcordia, pulsus celer, signaque alia febrilia manent, detractionem sanguinis iterum repetendam esse, et plerumque eam iterare necesse erit, donec diminutio magna vel amotio symptomatum vehementiorum effecta fuerit; nam citò advenit periodus, quando evacuationes, si ullomodo, perparcè adhiberi possunt. Si plenam solutionem alvi catharticum produixerit, nunc pilulam submuriatis hydrargyri gr. iii., pulveris antimonialis gr. ii., cum haustu salino in actu effervescentiæ, tertiâ quâque horâ,

æger sumere incipiat ; sed sine antimonio, si inclinatio levissima ad nauseam vel vomitum fuerit, submurias hydrargyri hoc consilio adhibetur, ut alvus laxa teneatur, eodemque tempore, ut effectus proprii in corpore moveantur, et con juncto antimonio haustuque effervescente, secretionem per cutem promoveat. Alvus autem sæpe astricta, non obstante magnâ quantitate submuriatis hydrargyri quæ sumpserit, permanebit, et laxa a purgantibus vel enematibus emollientibus, teneri debet. Si adhuc symptomata determinationis ad caput, cum frequente et pleno pulsu remanent, sanguinem iterum emitti oportet, quantitate secundum ejus effectus ordinatâ. Quando diutiùs evacuationes generales cum salute non usurpari possunt, epispasticum amplum inter scapulas positum, effectus optimos afferet ; interdum ferè dolorem capitis, stuporem et quoque delirium removebit, quod hoc tempore urget. Hoc multùm capite abradendo, et linteum madidum in aqua aceto commista applicando, promovebitur. Si adhuc morbus crescere non desinit, molestia in regione epigastrii, atque irritabilitas ventriculi, gravissimæ esse

esse incipiunt, cum lingua arida et nigra, site auctâ, et suffusione flavâ se in totum corpus diffundente. Hic gradus morbi secundus existimari potest. Alleviatio magna affectionis stomachi interdum ex epispastico ampio, applicato ad regionem epigastricam, et haustu effervescente conuncto cùm guttis paucis tincturæ opii, efficietur. Eodem tempore submurias hydrargyri si ullo modo eum ventriculus retinebit, continuetur, necesse est. Quando autem omnia præterea rejecta fuerint, pauxillum vini calidi cum saccharo et aromate, interdum in affectione ventriculi mitiganda succedet. Si calor adhuc magnus sit, affusio vel lavatio tepida, nunc in loco frigidæ, adhiberi debet, ægro jam multùm enervato et impotente, ad remedium tam validum sustinendum. Si vesicatorium inter scapulas positum et alterum ad caput applicatum, non stupore vel delirio allevando, succedant; paucæ hirudines ad tempora applicentur, et pediluvium vesperi utatur, quum sanguinis emissio adhiberi amplius non potest. Sed si, non obstantibus remediis omnibus quæ suprà præscripta fuerunt, morbus procedet, pulsu debili

et

et irregulari evadente, aliisque signis debilitatis crescentibus, parùm facere possumus, nisi ad ægrum sustinendum, symptomataque importunissima allevanda. Hydrargyrum autem assidue sub forma frictionis, oportet adhiberi, quia ventriculus nunc fortassè, eum retinere non poterit. Vinum nunc exhiberi debet, et quantitas adhibenda effectibus ejus pendebit. Evacuatio alvi regularis enematibus emollientibus producitur. Singultus, qui nunc multùm urget, portione misturæ camphoræ cum guttis paucis tincturæ opii vel spiritûs ætheris sulphurici, optimè tollitur. Excretiones jam interdum contra voluntatem evacuantur, aut urina retinetur; quamobrem introductio catheteris utenda est. Vomitum nunc ferè constante, ægro permittatur, quodcumque sumere potest. Parva quantitas vini adusti et aquæ, vel cerevisiæ conservatæ in ampullis, utilis reperta fuit; et cochlearia pauca fæculæ cycadis circinalis vel marantæ arundinaceæ, cum vino et aromate sæpe in ventriculo restabunt. Si mutatio de hac conditione infesta occurreret, æger a diæta nutritive vino, et aliquo medimentorum roborantium, ut cinchona

chona sub forma decoctionis, vel quassia sub forma infusionis, sustinendus est; nam ita exhibita, jucundiora ventriculo esse reperiuntur. Quando autem, e contrario, remissio perfecta in gradu maturo morbi fuerit, et convalescentia secuta sit, infusio quassiæ vel decoctum cinchonæ exhibeatur. Sed quamvis appetitus citò revertitur, cibus tamen in moderatione sumendus est, ut ne quid copia oneraret; quæ res gravem metum morbi recidivi sæpe incutiat. Igitur diæta ægri gradatim augeri debet, et vinum non paucis diebus necessarium erit, nisi in casibus ubi æger morbo protracto et gravi multùm exhaustus fuerit. Per convalescentiam, alvus regularis servanda est, sed præcipuè in eis ubi febris citò amota fuerit; nam observatur in omnibus febribus, eos ad relapsum proniores esse, quàm qui cursum naturalem morbi percurrerint.

**HISTORIA**

HISTORIA morbi finitâ, non ineptum fortassè erit, pauca dicere de aliquibus remediorum singulatim, quæ in hac febre adhibitæ fuerint.

*De Detractione Sanguinis*

observabitur; emissionem sanguinis ut remedium in quo præcipue confideremus, præscriptionem fuisse, et fortassè nimis liberaliter esse adhibitam, existimabitur. Quum autem violentia febris, spatum breve quo cursum interdum currit, et pristinus validus status eorum qui ei plerumque sunt obnoxii, considerata fuerint, fortassè eam non ita esse existimabitur. In quibusdam exemplis, quantitas detracta magna fuit, a centum et viginti ad uncias ducentas antequam symptomata subacta fuerint; sed post hanc convalescentia celerrima reperiebatur, proclivitasque minor ad morbum recidivum\*. Anteà memoratum fuit, sanguinem vel e brachio vel arteria

---

\* BURNET on the *Mediterranean Fever*.

arteria temporali emitti debere; sed observabam, minorem quantitatem ex hac ad dolorem capitis, et alia symptomata minuenda vel amovenda, sufficere; et sive a detrahendo sanguinem proximè partem præcipuè affectam, aut quia sanguis ab arteria, celerius obtineatur, quam a vena, quod interdum accidit, quum vulnus amplum factum sit, sive ex hoc quod sanguis arteriosus sit, aut ex omnibus his conjunctis, originem sumat, non possum dicere.

### *De Emeticis.*

Hæc remedia frequenter vidimus exhibita, et interdum summum commodum secutum est, febre præcisâ; sed saepius secuta est aggravatio affectionis cerebri et ventriculi. Igitur summa prudentia adhibenda sunt, quia difficillimè est dignoscere, quando eventus boni aut mali sequuntur. Existimamus quum determinatio ad caput magna sit, præcipuè evitari oportere.

### *De Purgantibus.*

Hæc in asperioribus temptationibus, conjuncta cum evacuationibus aliis, subsidium magnum in morbo

morbo removendo afferunt, et in curatione casuum leniorum, qui, quum febris decessura est, occurrunt, eis fides haberi potest, conjunctis cum remedio sequente.

*De Affusione frigida.*

Affusio frigida, ut mihi videtur, utilissimum remedium est in actione febrili redigenda, et eodem tempore ægrum gratissimè plerumque afficit. In gradibus posterioribus, affusio vel lavatio tepida, frigidæ subroganda est, quia hoc tempore æger nimis ad hanc sustinendam, energetur.

*De usu Hydrargyri.*

Ad morbos varios removendos, hydrargyrum multum usurpatum fuit, et quando ita adhibetur, in hac febre ad alvum laxam servandam, et effectus proprios in corpore movendos, auxilium efficax aliis remediis, ferre reperietur, et quando effectum ultimum se ostendit, ægrum securum plerumque considerare licet. Nunquam casum fataliter terminari vidimus, ubi hoc occurrerat; cùm in nullis eorum qui per eundem morbum epidemicum

epidemicum mortui essent, aspectus minimus de ejus affectis in systemate, posset percipi, nisi uno excepto, qui lue venereâ laborabat, et quem multùm debilitaverant morbus et usus hydrargyri ante impetum febris. Alia autem hujus generis exempla sunt memorata.

### *De Cinchona.*

Hoc medicamentum multùm commendatum fuit, exhibitum in portionibus magnis, ubi minima remissio notata est; et ab uno scriptore dicitur agere ut incantamentum in morbo curando, et præveniendis affectionibus chronicis pertinacissimis \*; dum ē contrario ab alio memoratur, cladem fuisse magnam et relapsum frequentem, cùm in maturis gradibus adhibetur †. Quantum fuit mihi opportunitas judicandi, solùm utilis visa est, quum post remissionem perfectam exhibita fuerit, ubi evacuationes eam antecesserint. Apparuit mihi, quando

D adhibita

\* CLEGHORN *on the Diseases of Minorca.*

† BURNET *on the Fever of the Mediterranean.*

adhibita fuerit in remissionibus minùs comple-  
tis, effectum habuisse acerbandi vel fortassè ac-  
celerandi exacerbationem sequentem.

*De Epispasticis.*

Ad affectiones topicas capitis, thoracis et  
ventriculi removendas, vesicatoriis nullæ appli-  
cationes meliores repertæ fuerunt, præsertim quum  
evacuationes aliæ cum salute longius provehi  
non possent.

**FINIS.**

celestusdi excepstionem sednecem  
de' effectum pspmee secrpsndi acy lntress de-  
spipps tñrert in lemissione munt combale-

## D. Tropaeasice

Ay sifectione topice cshis epoferc ce-  
centricili remouenys ascensionis dñlls spbi-  
tione meliorcs leberte fñrmat pñcessitum dñm-  
ascensiones satis certe satis iouigis broueri  
non posseut.

---

## ERRATA.

- Pag. 4. lin. 1. *pro centum viginti lege centum et viginti*  
 — 15. — ult. — posteriorem — posteriorum  
 — 16. — 6. — lœvantur — levantur  
 — 22. — 3. — adhibitæ — adhibita
-

